

502

Lib. IV. Cap. I.

gnitum, quod tamen ad scientiam requiritur. Si igitur primum illud, in quo est subsistendum, est incognitum, sequitur, quod alia ex eo cognosci aut sciri non possint. Sicut igitur primum, in quo subsistendum, est incognitum, nullaque ejus datur scientia; ita quoque aliorum nulla erit scientia, quia non possunt ex primô (quod est incognitum) cognosci.

28. Responderi ad hæc potest ex Arist. lib. I. post. c. 3. progressum in infinitum omnino nõ concedendum, sed in aliquo primo subsistendum esse. Illud primum autem incognitum esse ideo, quia ex priori non est cognitum, negatur, neque bona est consequentia, cum ita argumentor: hoc non est cognitum ex priori. E. non est cognitum. Sciendum igitur duplicem ab Aristotele poni scientiam (a) *ἀποδεικτικὴ* & (β) *ἀναποδεικτικὴ*; illa est, quæ demonstratione, vel causâ, quæ in demonstratione ponitur, simpliciter proximâ, obtinetur; hæc verò est eorum, quæ non demonstrantur per prius: Scientia igitur *ἀποδεικτικὴ* semper per prius obtinetur, altera autem, quam *ἀναποδεικτικὴ* vocat Aristoteles, non obtinetur per prius. Licet igitur subsistendum sit in aliquo primo, non tamen sequitur, primum illud ideo esse incognitum, quia ex priori non cognoscitur, cum & ex priori cognosci & sciri non conveniat omni; quod scitur, sed illi solum, quod